



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De prouinciarum exultatione, & Constantini donationibus. Cap. XXXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



*De prouinciarum exultatione, & Constantini donationibus.*  
CAP. XXXIIII.

**P**ius igitur Imperator ita crucis victricis confessione nobilitatus, cum magna dicendi libertate, filium dei ipsis Romanis palam diulgare cœpit. Omnes igitur omnino, qui ciuitatem incoluerunt, tam senatus, quam populus, velut acerbo & tyrannico dominatu leuati, clarioribus lucis radiis frui, visi sunt, & nouo nouæ cuiusdam & quasi renascentis vitæ modo rationeque potiri. Ac gentes vniuersæ, quæ oris oceani ad occasum vergentis circūdantur, prioribus malis quib<sup>9</sup> implicatæ tenebantur, liberatæ, insignem dierū festorum celebritatem lætis animis agentes, Constantinum victorem, pium ac communem omnium patronum eximiè prædicarunt: dixeruntque vna voce, vnoque ore omnes, illum, tanquam commune quoddam bonum, hominibus, dei benignitate & clementia donatum, illuxisse. Imperatorium porrò passim diulgabatur edictum quod quidem & his, qui fortunis suis spoliati, concessit auctoritatem rebus suis & facultatibus potiundi, & eos, qui iniquum exilium perpessi fuissent, ad proprios lares reuocauit. Alios item vinculis, omnique periculo ac metu, quibus per tyranni crudelitatem vexabantur, penitus eripuit.

*De honore episcopis delato, & ecclesiarum exedificatione.*  
CAP. XXXV.

**I**pse porrò imperator dei ministros accersere cultu & obseruantia, honorificè complecti, & tum re, tum verbis, tanquam viros de suo consecratos, humanitus excipere, & maxima benevolentia prosequi cœpit. Quippe, licet homines fuerint ipsius formæ habitu ad aspectum abiecti, ab eo tamen non eius generis existimati sunt, sed quia non hominem, qui sub aspectum oculorum cadit, sed deum ipsum qui in eorum animis insidebat, cōsiderare visus est, illos suæ mensæ effecit participes. Illos, quocunque iter capiebat, secum duxit, atque ea de re deum, quem sanctè colebant, sibi credidit fore propitium.